



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118316**

§. 40. Jurgia de Decreto Sessionis XXV. signando.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

Sæcul. XV.  
A.C. 1437.

§. XL.

*Jurgia circa sigillum Decreti Sessionis XXV.*

Soluta Sessione inter Concilii Patres, et Legatos, eorumque fautores nova eaque haud levior exorta est contentio: agebatur enim de signando Synodi decreto. Jurgiorum series hæc erat: Arca in qua Synodi sigilla servabantur, quatuor clavibus aperiebatur, quarum custodia quatuor itidem Viris prudentibus, qui a Concilio singulis mensibus ex quatuor Nationibus seligebantur, concredita erat. Illi equidem, qui tunc temporis claves sibi commissas habebant, eas ad signandum Synodi decretum perlibenter tradebant; verum Julianus, alias Cardinalis S. Angeli dictus, ac Concilii Praeses, penes quem arca reposita erat, Synodi decretum signari recusabat, saltem nisi simul Legatorum decretum eadem auctoritate firmaretur (\*). Inter haec per plures dies nulla acta ob haec discordias signata fuit. Tandem vero plurima ultro citroque concitatione

(\*) Observes velim, vix unum, alterumve Scriptorem de hoc facto mentionem facere.

tatione habita, Cardinalis Julianus in Sæcul. XV. A.C. 1437.  
 quadam Congregatione Generali, cui præerat, die decima quarta Maji celebra-  
 ta, nomine Concilii pronuntiavit, novo decreto esse statutum, Cardinali S. Petri  
 ad vincula, tunc ex Papæ Legatis primo, Alphonso Burgenfi Episcopo, Regis Ca-  
 stellæ Oratori, & Nicolao Panormi Episcopo (hic idem est, ex cujus rela-  
 tione verba nostra mutuavimus) dan-  
 dam esse plenam facultatem, vi cujus con-  
 troversias ob acta, quæ sigillo obfirmari,  
 ac transmitti deberent, exortas definiant.  
 Hoc litis componendæ medium nemi-  
 ne reclamante acceptatum est, & illud  
 ipsimet tres Legati cum suis assëclis  
 manifesto consensu firmarunt. Igitur hu-  
 jus decreti, seu potius demandatæ pro-  
 vinciatæ formula hunc in modum præle-  
 cta est.

*Eligantur per sacras Deputationes Do-  
 minus Cardinalis S. Petri, Dominus Panor-  
 mitanus Archiepiscopus, Dominus Episco-  
 pus Burgenfis, quibus detur plena potestas  
 super bullatione literarum, de quibus agitur,  
 & eorum destinatione. Ita ut per hoc quod  
 ipsi faciant, nullum præjudicium alicui ge-  
 neretur, & per hoc sit pax & tranquili-  
 tas inter Patres de Concilio pertractanda.  
 Et ista ultima clausula sit ita firma, quod  
 non possit violari nec immutari. Ita quod*

Secul. XV. *duret eorum potestas per totam diem cro-*  
A. C. 1437. *nam, quæ erit decima quinta Maji.*

## §. XLI.

*Decretum Sigillo Synodali signatum.*

Ergo tres isti Deputati dicta facultate freti, Concilii sigillo, appensoque plumbo firmari jubent Decreta, quæ condita fuerant de urbibus Basileensi, & Avenionensi, necnon Sabaudia Provincia in locum Concilii eligenda, item de imponendis decimis, ac potestate, quæ quatuor Concilii Legatis concessum est pacisci de portu, ex quo Græci exsensionem facere, ac faciliori aditu ad præfata loca pertingere possent. Præterea signarunt Epistolas, quæ tam ad Cardinalem de Fluxo Avenionensem Vice-Legatum, quam ad urbis hujus cives, & Synodi Oratores ibidem commorantes missæ fuerant. Literæ pariter, quæ Concilium ad Imperatorem Græcorum, & Patriarcham Constantinopolitanum præscripserat, eodem Sigillo firmabatur.

§. XLII.